

suspendatur aut auferatur, vel etiamsi publicum maneat
praeconium, variae simul seductiones se exerant, nostra
perinde ut prisca tempora docent: adeoque potius ad ipsam
oeconomiam Dei praesentem, ipsique *semper receptam*, spectat,
ut populum etiam suum, adeoque gentes particulatim spe-
ctatas, ob contemptum contumacem puniat satis severe. Quid
vero haec ad figmenta Fanatica, ubi excogitatur *abolitio uni-
versae oeconomiae praesentis* in omnibus statibus gentibusque,
mutatio in faciem longe aliam, & quidem meliorem, idque
praeviis & intercedentibus revelationibus immediatis variis
generis a DEI ipsius ore pronunciatis, quae omnia ex verbo
DEI prius probari oportebat?

POSITIO III.

*Nec minus arroganter ad novam Oeconomiam
DEI expediendam novi Fanatici vocationem
divinam eamque extraordinariam speciatim
ad praedicandam poenitentiam sibi praefu-
munt.*

Ex. 9.

I.

Plerisque Fanaticis in usu est, ut *singularem vocationem*
coelitus sibi datam affectent, & instar Simiarum, Pro-
phetarum tergiversationem & *impulsum coelestem* animos
flectentem imitari cupiant, Fusse de hoc negotio dudum e-
git prudentissimus Theologus J. C. DIETERICVS in Lib. Sa-
pient. C. VII. p. 849. ubi scribit: Solche Gern-Propheten
unterfangen sich freventlich thörichter Weise gewisse Prophe-
zeien von dem Jüngsten Tage / von Veränderung des Röm.
Reichs / und Anfang eines neuen tausendjährigen Gnaden-
Reichs!